

Universitätsbibliothek Wuppertal

Pauli Manutii Epistolarum Libri XII

Manuzio, Paolo

Lipsiæ, Anno 1698

Liber III

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-875](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-875)

EPISTOLARUM

PAULI MANUTII,

LIBER III.

HIPPOLYTO ESTENSI CAR-
DINALI, FERRARIAM.

Lib. III.

EPIST. I.

Primò gratias agit Cardinali Estensi, quod ipsum eo in loco, unde fortuna ipsum depellere conabatur, velit retinere. 2. Excusat se, quòd non potuerit ad ipsum venire. 3. Rogat ipsum, ut benevolentia ipsius sibi conferretur. 4. Petit, ut si fortè quibusdam literis sit offensus, id sibi ignoscat.

Formul. Causas scribendi indicare. Valde me levavit N. oratio &c. cepi lætitiã, quantam aliquis ex imperata exoptataq; re maximam capere possit, measq; statim partes esse duxi &c.

Valde me levavit, in hac mea satis graviter affecta valetudine, oratoris vestri, Hieronymi Faleti, viri præstantis oratio: quicum sermonem mihi, Ferrariæ tecum habitum, exposuisset, multaqve, ut solet, de ingenio tuo singulari, de summa gravitate, ac sapientia, nonnulla etiam de tua nequaquam à me, ut audieram, aliena voluntate narraisset; cepi lætitiã, quantam aliquis

ex insperata, exoptataq; re capere maximam possit; measq; statim esse partes duxi, ut ad te scriberem, ageremq; gratias, quod in eo loco, unde me depellere fortuna conaretur, tua me retineret humanitas. Quo sanè mihi nihil optatius, nihil hoc tempore, cum infirmus langveo, ad animum meum sustentandum, opportunius potuit accidere. Atq; eqvidem ita statuo, actum esse mecum miserè prorsus, atq; infeliciter, quod meam ad te veniendi cupiditatem incredibilem pestilentia primum, deinde morbus impedièrit; & in eo magnum studia mea, measq; res adiisse damnum: quibus à te, pro tuo instituto, veteriq; consuetudine, consultum iri optimè, pro certo existimabam. Quod quando ita accidit; & quando me à tuo convictu non mea voluntas, non iudicium, aut ulla mentis inconstantia, sed corporis imbecillitas, atq; hæc anniversarii, ac penè jam perpetui morbi vis importuna se jungit; peto à te, Princeps humanissime, id saltem quod in tua, non in fortunæ manu situm est, tribuas, & largiari, ut benevolentia mihi tua & quæ fuit antea, & quæ, si ad te ivissem, futura erat, eadem conservetur. Hoc si assequor, beatus hac una re sum; cetera parvipendo. Ea porrò mihi ut conservetur, ita postulo, si me, qualis in aula tua fuissem, talem esse absentem intellexeris, id est, observantem tui, tuaq; in laude omni studio & cogitatione defixum. Quod si quibusdam literis animus à me tuus est offensus; quod in iis dicar minus fortasse, quàm decuit, de te, aut de tuis modestè locutus, quod certè secus est: sed si me tunc à mea

con-

conferu
diz, nofi
magna
quam ra
inecta f
lere do
fuit cepu
debes, ut
omni dig
dignissim
nuit, dicit
fvetudo

F R A

Hoc m
& in se Mor
Form
beo & c. (B)
Form
teprate

Qvod m
Qmo: b
ti. Quid a
fructuati
tamen, q
meliora d
nomine ha
si lapis, ag

consuetudine impetus quidam abduxisset iracundia, nosti pro tua sapientia ingenium humanum: magna vis doloris est; impellimur sæpè longius, quam ratio concedat: & facta quæ sunt, paulò post infecta frustra cupimus. Te tamen ita decet ignoscere dolori meo, si ex iusta, ut ego arbitror, causa susceptus est: sin aliter tibi videtur, ignoscere tamen debes, ut eluceat magis in culpa humanitas: quæ si omni digna Principe virtus est, te videtur Principe dignissima; quem ad omnem laudem natura genuit, disciplina erudivit, multorum annorum consuetudo affvesecit. Vale. Venetiis.

FRANCISCO MOLINO,
PATAVIUM.

EPIST. II.

Hortatur Molinum, ne occasionem discendi negligat, & ut se Mureti contubernio dignum præstet.

*Form. Excusandi admonitionem: Plura non de-
beo &c. (B)*

*Formul. Hortandi. Ut N. contubernio dignum
te præstes. (B)*

Quod meas epistolas descripseris, valdè te amo: & custodiri à te malo, quam ad me mitti. Quod autem, non esse tibi scriptionem illam infructuosam, significas, prorsus non abnuo; veruntamen, quod tibi hoc in genere multò & plura, & meliora domi quotidiè nascantur, hoc equidem nomine haud paulò magis tibi gratulor. Quam tu, si sapias, agnosce, & opta diuturnam occasionem.

Vivis cum eccellente viro, adolescens, præstanti ingenio, optima valetudine. Vivis Patavii, id est, in urbe scientiarum laude celeberrima, quò, tanquam ad mercatum, virtutis cupiditate ita omnes confluant, ut inanes redire turpissimum ducant. (A) Plura non debeo. Novi enim, ad quem: & hæc ipsa minimè necessaria videbam: sed obsequendum amori fuit in te meo; qui me tacitus, ut tecum de tua laude loquerer, hortabatur. Patri verò tuo, & optimè de me merito, & iis virtutibus, quæ nobilem virum decent, in primis ornato, quid est, quod à me deberi non intelligam? Exstabit igitur in te, si qua re potero, studium meum: illum autem colam sensibus intimis in omni vita studiosissimè. Vale, (B) & ut Mureti contubernio ac disciplina dignum te præstes, quanti tuam laudem facis, quæ mihi maximæ curæ est, tantum enitere. Venetiis.

MARCO ANTONIO MURETO, PATAVIUM.

EPIST. III.

1. *Gratias agit Mureto de iudicio.*
2. *Rogat, ut sibi describat Legem vet.*
3. *Monet, ut, si quid peperit ejus ingenium, ad se mittat.*

Form. Salutandi alium: Molinus meus &c. (A)

Formul. concludendi, ob chartæ inopiam. Charta me deserit &c. (B)

Beasti me tuo iudicio: si modo plus est à te veritati, quàm amicitia, tributum. Quod ego, qui faveo meæ laudi, facillè mihi patiar persuaderi. Sed, amabo te, visne nihil Legem illam diutius deberi? nescis, quàm sim studiosus hujus generis monumentorum? describe aliquando: aut, si, stantem in media via describere, minùs honestum videtur, nec pudor tuus fortasse fert; da negotium homini diligenti; quòd Achilles noster vel negat, vel certè prorsus agit eo modo, ut negare videatur. Salutabis tamen eum meis verbis: cui certè fortunam opto, qualem si magister ejus haberet, omnia bona, merenti pessimè, contingerent. Si quid peperit, ingenium tuum, dignum penè dixi utroque nostrum, sed si quid te ipso dignum, mitte: ut confites humanitati tuæ atq; etiam constantia. Es enim pollicitus. (A) Quid Molinus meus, flos omnium lepòrum, omniumq; virtutum? ut valet? jube eum salvere quàm potes humanissimè. (B) Charta me deserit, ut vides, tecum svavissimè loquentem. Vale.

EIDEM PATAVIUM.

EPIST. IV.

Rogat Muretum, ut Tragediam sibi describat.

Form. Clausule: Hæc aliena manu. (A)

UNam tragediam duobus ipsis diebus, cum assiduè scripserim, absolvere non potui. Meorum oculorum, ut videor, res non est, ac ne digitorum quidem. Quid? ego habeo tuos articulos? huius quantum interest! reliqua igitur ad te rejicio. Vin-

ces me facili celeritate, æqvabis in diligentia, si volueris. Finge, operam te dare, cum describes, homini literarum & prorsus ignaro, & prorsus cupido. Finge, amico singulari: quem explere officii, si liceat, optabile sit. Quamquam hoc non finges. Nam, cum à domesticis discessi, nihil habeo te carius. Veruntamen, hæc si sibi proposueris; de quo rogandus non es; monere tantum volui; nihil quidquam omittes in describendo. Habes, quam ego in me desidero, mentis constantiam, pectoris firmitatam. Hæc mihi morbi diuturnitas eripuit: quæ video esse in te, utinamq; diu videam *cu m an-
mñ.* Habes oculos in legendo, manum in scribendo exercitatem: vacui verò temporis quantum vis: & vis in rebus meis plurimum; qui te sæpè dixeris, professusq; sis ad meum arbitrium tua studia conferre. Nam, quod ad gymnassii curam attinet; nec dies instat publici muneris, & si instaret, opera hæc bidui tota est, bidui, inquam, tibi nihilo longior: mea verò & diuturni temporis, & laboris esset non ferendi. Ad hæc si accesserit voluntas, quæ mihi non venit in dubium, & inductio illa animi, quæ magnas res facili conficit: negotium habeo absolutum. Serva, mi Murete, quod in te est, amicuum tuum integellum: parce valetudini: nostram imbecillitatem, tuorum officiorum ope, sustenta. Scis, *ἡμῶν βλέποντες*, quo amore, quo consilio, quo etiam præsidio fortunæ tuæ nitantur. *ὅυλις ἐμῶν ἐπι-
τες* nosti reliqua. Hæc alienâ manu scripsi, cum paululum langverem. Totâ enim ferè nocte, nescio quo casu, somnum oculis non vidi meis, aut vidi

tristi-

tristitium imaginum turbâ permittum. Tuum Euripidem remitto, unaq; meum; quem cupio similem esse tui. Ex ædibus nostris.

EIDEM, PATAVIUM.

EPIST. V.

Accusat Mureti silentium &c.

Monstri simile, Muretus non respondet: immemorne nostri? nefas credere: & hanc suspicionem longè animus respuit. At occupatus? hoc fortasse: verùm, ullane cursum amoris interrumpit occupatio? omitto jocum. Mi Murete, garrit sæpè amor; at tu files: cum tamen, ut opinor, ita me ames, ut fortassè nemo magis; quod certè facis mutuò. Quod si, quia Legem illam describere per tua negotia non licet, ideò non scribis: rogo te, abjice istam curam. Abrogentur potius omnes leges, quàm tuarum literarum fructu diutius caream. Nec tamen detrahi multum de otio tuo, meà causâ, volo. Scio, tempus quàm utiliter ponas. Illa satis erunt: Mi Manuti, valemus: & valere te, valdè cupimus. *Ta nò dixi* sunt in manibus. Cum Molino tuo, cum Sosiano sæpe sum: planè vivo. Hac sententia, sed aliis verbis; id est, elegantissimis, quibus ipse abundas, si scripseris; satis planè cupiditati meæ, (quid enim dicam voluntari?) satis etiam officio tuo feceris. Video te expectare aliquid de meo discessu. Dies appropinquat, vel potius jam adest. Jam, ut ille ait, sarcinulæ collectæ sunt omnes, nec ferè, quod agam, superest. Itaque
nonis

ronis Sept. cogitamus. Cum illo, qui mihi nunquam placuit, impuro homine, si quid adversus me, suscipe, ut ego in tuis injuriis soleo; & sustine prælia: nervos enim habes. Ille, nostram vicem, ulciscetur sua malefacta. Nam invidia rumpitur: & habet, quod intimis, eum sensibus dies noctesque excruciet. Nos laudabilia cogitemus, & ad præclara illa studia incumbamus: de isto ne meminerimus quidem, qui bonos omnes, hoc est, sui dissimiles, odit iniquissime. Vale, & amicis nostris (sunt enim ferè communes) plurimam salutem. Venetiis.

Scriptis literis, & jam obsignatis, hesternæ tuæ sunt allatæ, Græcè loquentes non minus argute, quàm eleganter. Qui possum paria paribus? si pergis, clamabo me circumveniri. Meherculè non tam aquis ulli fontes, quàm ingenium tuum scætet Græcis & sententiis, & dictis. Maecte: extra jocum, amo te quotidiè magis; quia tu scilicet ad perfectam virtutem quotidiè accedis propius. Sed pauca de re. Videsne, quàm facile tum ferantur, tum abrogentur leges? Ubi sunt, qui tribunitiam potestatem accusant? illa quidem, cum bona mente, conjuncta salutaris. Sed hæc ne nimium curemus. Utere fortunâ tuâ. Ego alias regiones specto, invitus, nostri dissidii causâ: sed conjungemur animis; corporibus disjuncti. Id est maximum, in maximo dolore, solatium. De Philopono, quia comes futurus est itineris mei, velim in eas rationem, si eum hîc reliquisti, ut ad me quamprimùm. Colligo omnia, ne quid me moretur in discessu: non enim id agitur unum, ut voluntati meæ, sed illud simul, ut fidei satis fiat.

*Respondet Muretus Volum. II. Epist. 1. Qvi possum,
paria paribus?*

EIDEM, PATAVIUM.

EPIST. VI.

*Significat, Sigonium Bononiæ professorem futurum, &
Mureto spem facit successionis in locum Sigonii.*

TU vide, cui committas: ego enim binas tantum
accepi. Prioribus respondi nudius tertius,
meamqve tibi de Bononiensi re non modò senten-
tiam, verum etiam voluntatem ostendi. His alte-
ris, quæ mihi reddita sunt heri vesperi, si rem spe-
cto, rescribere nihil est necesse; sunt enim ejusdem
argumenti: sin tuam voluntatem; quæ quanta sit,
ex tuis literis apparet: sunt eadem iteranda. Sic
igitur faciam. Affirmo tibi, Sigonium nostrum si
Bononiam ierit, præsensq; contenderit, certum fu-
turum. Habet auctoritatem, ex hujus loci dignitate
partam, mirè suis amplificatam scriptis, præsertim
his postremis, insigni doctrinâ, judicio, ingenio,
diligentiâ refertis. Studia Bononiensium civium
facile colliget. Civitas enim est ad humanitatem
nulla propensior. Accedit, quòd aut petet solus,
aut cum iis, quos neq; nominis fama, neq; verò, ut
à nonnullis accepi, literarum scientia magnopere
commendat. Bargaus enim, *ὅτι οὐ τυχὼν ἀνὴρ*,
conditionem illam certè non spectat. Qvi enim
Pisis dominetur, & sua virtute, quam novimus ex-
cellentem, & Principis gratiâ, cujus in ditione na-
tus est; quo consilio ad res novas animum adjici-
at?

at? Ergo, si Bononiæ Sigonius; vides, quid sequatur. Diu hominibusq; approbantibus in ejus locum ascendes. Quo mihi nihil esset optatius. Nam speciem habet Bononiensis conditio majorem, ut in gymnasio Italiæ celeberrimo: emolumentum certe haud paulò plus hinc video futurum. Atq; etiam de dignitate video. Tractantur omnino literæ splendidius in publicis gymnasiis: & docetur loco superiore virtus majore cum gloria: sed clarissimum Venetiarum nomen quasi luminibus obstruit Italicarum omnium civitatum: & hinc ortum decus facilè manat, ac diffunditur per omnes gentes, propter hujus urbis communionem & quasi societatem cum orbe terrarum universo. Hic venit in mentem; Cur tu igitur migras? Alia ratio est: ego urbem linquo, non cum urbe emolumentum. Quin hoc augeo vehementer; illam profus amittere non videor, quia Romam specto. Habes meam sententiam: quod quidem ad te attinet. De Sigonio autem, quia nihil est tam amplum, quod ejus virtus non æquet, meam, ut opinor, divinationem exitus non fallat. Nisi si quid attulerit casus; qualia fert hominum vita. De Molini nostri valetudine, cum rescribes, adde verbum, si me amas Vale. Venetiis. Nonis Septembr. quo me die discedere cogitantem nova res detinuit.

E I D E M, P A T A V I U M.

EPIST. VII.

*Muretum egrotantem hortatur, ut in studiis sibi par-
sat, & modum servet.*

Quid homini non timendum? cum te, tam va-
lidum, istis lateribus ista atate, nihil tale me-
tuentem, animus reliquerit. Valdè me percussisti
tam gravi nuncio, eoqve magis, quod ignorare te
causam scribis. Nam, tuendi tui quam rationem
inibis, si te morbus invasit imprudentem? tuam
continentiam narras: equidem ita credo. Unde igitur
fluxit vitium? Parce tibi in studiis, mi Murete,
pro eo quanti ipse tibi es; aut, si te ipse non diligis,
quem omnes penè diligunt, pro eo, quanti ipse apud
te sum: quem tu nisi magni facis, egregium si-
mulandi tenes artificium. Nescis modum esse reti-
nendum in omnire? nescis, virtutem nimis appe-
tere, virtutem non esse? Age igitur, jam te respice,
si minùs antea: tibi consule; & eam quære gloriam,
quæ te viventem oblectet, non quæ discedentem
è vitâ prosequatur. Ita diu jucundè vivam, ut acerbè
nunc vivo, quia sollicitus de te sum. Medicos habes
doctrina singulari, quorum consilio uti possis: ca-
lo uteris clementissimo: in rebus tuis nihil, opi-
nor, est incommodi. Genus enim vitæ non hone-
stum minùs, quam utile, delegisti: etsi te scio de re
& lucro minimum laborasse; illa verò habuisse pri-
ma, quæ nec mihi postrema unquam fuerunt, de-
eus & amicitias nobilium virorum. Hæc cum ita sint,
modo

modo paulò minùs mentem, & paulò magis corpus exerceas, rectissimè tibi erit: nosqve, tui peramantes, afficies maximâ lætitiâ. Quod auguror futurum: &, ut meam spem, quantum in te est, exitu confirmes, te ipsum tuâ, nec minùs meâ, causâ rogo. Kal. April. omninò te, sin id minùs, Catullum tuum exspecto. Diem unum prorogari, ère, mea non est. Vale.

Respondet Muretus Vol. I. lib. I. Epist. 3. Heri redeuntem.

EIDEM, PATAVIUM.

EPIST. VIII.

Respondet expostulationi Mureti, qui indignè acceperat ironiam, vel jocos à Murratio usurpatos, & se imposterum vitaturum dicit, quod in utramque partem stecti posset. 2. Deinde excusat se, quod de Plauto edendo scripserat; & ejus editionem Mureto perlubens permittit, quoniam desperet, ipsum novi aliquid orsurum, qui commentarios jam ad exitum perductos nolit perpolire.

Planè non assequeris, ut video, quorsum illa de Momo scripta sint à me. Non enim id spectavi, tuam ut remorarer industriam, sed ut acuerem potius, atq; incitarem. Tu autem ita commotus es, ita mecum vehementer ac penè iracundè agis in epistola tua, ut vix tibi temperes; ac ne satis quidem, cum velles, temperare potueris, quin aculeos etiam in me nonnullos emitteres. Deinde quasi blandiris in extremo, verbis utens amantissimis, atqve hono-

honorificentissimis; cum ea mihi tribuis, quæ si respuerem, ipse me non amarem. Tanti enim mihi sum, quanti ab iis, quibus ego plurimum tribuo, fieri me sentio. Ac putabam, mi Murete, meostibi sensus benè cognitos omnes esse: quod si paululum à mente quandoq; aberraret oratio, non esse, facturum, ut eò mea verba detorqveres, quò neq; meum iudicium, neq; nostra iam penè fraterna necessitudo ferret. Quod quando secus video contingere; aberit posthac à meis literis omnis ironia, aberit jocatio, quicquid deniq; ejus esse generis intelligam, ut in utramq; partem flecti possit. De illo ne meminero quidem, si potero: hominem enim contemno: silentium quidem, quod potero, ipse mihi imponam. De Plauto: videor tibi scilicet, quod ajunt, in alienam messem. Sic enim illud interpretor, *Ame, ut scis, efflagrabitur.* Tu vero, me perlubente, rem suscipies: si modo, quod contra mihi videbare, animum induxisti, ut efflagitantibus brevi satisfacias. Verum, si præclaros de Finibus commentarios, ad exitum jam perductos, paucorum dierum studio perpolire non vis, & magno literarum damnò pateris jacere; qui sperem te aut velle hoc tempore novi aliquid ordiri, aut, si ordiaris, posse pertexere? Magni negotii est, quantum otii res exigat, tuis occupationibus eripere; non minoris, à te ipso, ut velis, impetrare. Facio tamen æquissimo animo, ut in te rejiciam, ac transferam, hoc, quicquid oneris, aut laudis est; consulatur, modò publicæ utilitati. Id, non modò à te, quem fero in oculis, sed si vel ab iis, quos & de facie, & de nomine

mine prorsus ignoto, præstabitur, æquè lætabor. Quare non solum per me licet, verum etiam, si patris, precibus tecum ago, ut ad emendandas, illustrandasq; Plautinas comœdias tuam excellentem industriam conferas. Vereor tamen, ne quod summe cupio, id frustra rogem, atq; expectem. Vale. Venetiis.

EIDEM, PATAVIUM.

EPIST. IX.

Respondet Mureto ad Volum. I. lib. I. Epist. 4. De Tibullo & Propertio.

Rogat Muretum, etiam ad Tibullum & Propertium, emendandos animum adjiciat, respondens exceptioni de occupationibus, ad quas forte velit confugere.

Rem tenes: optimè tres poëtæ conjungentur: ille M. ANTONII MURETI COMMENTARIO ILLUSTRATUS; reliqui duo, si rem suscipis; quod ita liberaliter, ac benignè polliceris, ut à me non minorem verbis, quam re gratiam ineas; AB EODEM EMENDATI. Quod si, ut significas, ad emendationes aliqua præterea fiet accessio: næ ego tunc, verè mutuum inter nos esse benevolentiam, intelligam, ac velle te mecum officii certare: in quo antea (dicendum est enim) potuit esse illustrior amor tuus. Confugies videlicet ad occupationes: ego ad illud: Nulla potest esse occupatio tanta, quæ amoris & officii cursum debeat interrumpere. Me ipso quemquamne tu magis impeditum à negotiis, districtum à curis unquam nosti? quis tamen amicorum (amicorum

corum autem? imò verò etiam alienorum) negotia curat libentius? tuâ sanè causâ noctis etiam partem cogitando sæpe consumpsi, cum tamen corpusculi tenuitas maximè quietem postularet. Sarcies igitur, si quid omissum: vel, si nihil, auge superiora: quod certè potes, & si meum in re animum spectas, etiam debes. Vale.

EIDEM, PATAVIUM.

EPIST. X.

Respondet Mureto ad Volum. I. Epist. 13. Si nihil est.

Ejusdem ferè argumenti.

REmitto scholia, ut habeas corrigendi facultatem. Quamquam est, cur addas potius, quam mutes. Quid enim? totusne quartus liber ita mendosus aut obscurus est, nihil ut assequare, nihil scriptione dignum excogites? mihi non probabis, nec omninò cuiquam, tuum in Catullum præstantem commentarium qui legerit. Confice igitur, quantum quidem per te licet. Licet autem tibi, quod, ut ego sentio, quam paucissimis. Nos opus nostrum intermisimus tuâ causâ, tuum ipse opus nostrâ causâ ut urgeas, atque absolvas. Nec dubito quin, si adniti volueris, & quasi cum ipsâ re contendere, quod ego interdum soleo; magna ex parte præstes id, quod præter opinionem meam, ut aliquid *ex re aduātum*, abjecisti. Derebustuis, quæ mihi mehercule magnæ curæ sunt, consilium dies afferet; animus certè meus fluctuat: ita multa in utramque partem occurrunt Placet constantia; ita; sed si cum

utilitate jungatur. Utilitatem porro non lucrò magis, quam dignitate, metiamur. Quod tu quoque videris significare in illo loco, *Vellem hic paulo et tibi non ego vivere liceret.* Veruntamen, mi Murete, si quid agimus minùs interdum splendide, contra quam nos præclara liberalium disciplinarum studia docent, excusamur temporum iniquitate, & multorum exemplo; qui cum affluentibus rebus, quæ sæpe à nobis, fortunæ potius culpâ, quam nostrâ, desiderantur, quotidie tamen aliquid ultra appetunt: quam meus magister Egnatius, si audires verba, summam stultitiam; si vitæ rationem spectares, planè singularem sapientiam judicabat. Vale. Venetiis.

Respondet Muretus Volum. I. lib. I. Epist. 16. Mori ar, si quicquam.

EIDEM, PATAVIUM.

EPIST. XI.

Soadet Mureto, ut Terentium illustrandum suscipiat. Se, ait, Plantum esse aggressurum, in quo sperat, se aliquid præstiturum, nisi nimis crebrò interpellaretur.

Quintilis Kalendæ, quem tibi ego diem defineram, præterierè jam, ut vides. Itaque, si quam ex meis literis de perpoliendo Catullo tuo curam suscepas, eâ te libero. Temporis enim contactus angustiis, mandavi meis, ut alia quædam prelo subjicerent. Mensè, quod ad me attinet, vel integrum, eoque amplius, licet interponas. Interim ad Terentium omnem tuam industriam, svadeo, conferas

feras. Novi omninò te laudis in studio nunquam languentem : sed in hoc libro, qui maximè omnium veriatur inter manus, ipse te debes incitare, & eò magis, quod erit, qui editum statim arripiat, syllabatumq; omnia dimetiatur. Admodum enim seyerè, ac studiosè iudicat aliena; sua verò premit, exire non patitur, diu licet evigilata, acerbis etiam in se ipsum, minimeq; indulgens. Ego accingor ad Plautum. Nèc cœsperarem aliquid à me, si minùs ingenio, saltem diligentia, posse præstari: sed interpellant salutatores à manè ad vesperam; honesti illi quidem, cupidi virtutis, officio, & amore erga me, ut videntur, incensi; tamen interpellant. Scisilla Ciceronis nostri, ad Sebosum, Arriūq; adventum ingemiscens. Hui, unumne ego Sebosum, unum habeo Arrium? videlicet: sexcentos: quibus, velim nolim, horæ dandæ sunt omnes. Ex quo quantum molestiæ, quantum hauriam acerbitalis, ipse, qui meam consuetudinem, ac meos planè sensus tenes, facile potes conijcere. Nam rem familiarem, etsi minimè abundo, jacere tamen æquo animo patior: studia verò mea negligere nullo modo possum. De tuo adventu spem nonnullam injeceris: eam rursus extenuant postremæ tuæ literæ. Ego illud scilicet primum, ut habeas rationem valetudinis; secundo loco, quod tuo commodo fieri possit, ut te nobis restituas, exopto. Quid Molinus noster, quid agit? quid autem ego hoc quæro? nimirum ille totos dies tecum, id est, in virtute totus est; nec tamen complexus doctrinam dimittit, iudicio adductus suo, meo consilio confirmatus. Vale. Hæc ante lucem, cu-

bans in lectulo, amanuensi meo, & jam meorum studiorum socio, dictavi, nobili adolescenti Cyprio Herculi Podocatharo, qui cras Patavium cogitar, teq; meo nomine salutabit. Illa superiora familiari meo, Sebastiano Leoni, qui se fortè obtulerat, dictaveram inambulans, quod eram paulo crudior; nec ferè mea manu libenter uti soleo.

EIDEM, PATAVIUM.

EPIST. XII.

2. Respond. commendationi Mureti; & se amare scribit cum, qui literas ejus attulisset. 2. Hortatur, ut Catulli commentarium mittat, & duos ejus comites ornent. 3. Filium quinquennem se missurum Epidaurum, scribit, ut ibi informetur. 4. Hortatur ipsum ad crebras literas scribendas.

Quimihituasattulitlitteras, ei ego meam omnem operam, si qua in re vellet uti, atq; omnino quicquid valeo, tuâ causâ detuli. Visus est meam amicitiam plurimi facere, & à me, præter eam, nihil expetere. Quod illi facillimum fuit impetrare. Nam cum omnibus naturâ pateo; tum verò, qui à te diliguntur, amore meo nunquam excludentur. Catulli quod apud te reliquum est, biduo si miseris, satis opportunè facies. Deinde mihi orna duos comites ejus, utrumq; dignum, ubi nervulos ingenii tui contendas. Etiam illud, mihi tribuis petenti, quod ante omnia, & unum fortasse, spectare te puto. Cras, ad summum perendie, tria Catulli folia mittam. Filiolum meum Hieronymum, nondum

dum quinquennem, Aldo parem ingenio, valetudine firmiorem, mandare Epidaurum ad hominem eruditum, meiq; peramantem, Paulum Bosium, cogitabam. Ibi moribus, & primis literis imbuetur. Nam ego me ad hæc humilia demittere nullo modo possum. Quid præterea? nihil scilicet: imò aliqvid. Scribe, amabo te, mi Murete, ut instituisti, quàm sapissimè. Meherculè, è summis, atq; assiduis non modò negotiis, verùm etiam animi curis, tantùm in tuarum epistolarum elegantia, & svavitæ conqviesco. Atq; etiam, dum ipse ad te scribo, quia te mihi præsentem statuo, mutuumq; inter nos sermonem fingo, incredibili voluptate perfundor. Vale. Venetiis. Hercules meus, quia festus hodiernus dies est, abest. Ideo hæc mea manu, decies interpellatus, exaravi.

Respondet Muretus Volum. II. Epist. 2. Quòd te à curis.

EIDEM, PATAVIUM.

EPIST. XIII.

Probat Mureti consilium, qui svafu Jannotti Patavii manere decreverit, spreta conditione Ferrariensi; eòq; nomine sibi gratulatur, & studia sua ipsi pollicetur. Deniq; à Molino sperat, se artem memoria, quam tenet, impetraturum.

AIsne? Jannottus ita svafit? vix adducor, ut credam; tibi tamen cur non credam? ego meherculè, quod Jannottus probare videtur, id non solum probo, verùm etiam mirificè cupio. Quid enim mihi svavius tua consvitudine? quia nihil ju-

cundius. Tuo verò sermone quid utilius? qui solet esse tum eruditus, ingeniūq; notis adpersus, tum etiam benevolentia refertus in me singulari. At, Ferrariensem conditionem ut acciperes, auctor fui. Id quidem (tu scis: facile enim potuisti conjicere) valdè contra meam voluntatem: cui nihil potest esse molestius, quàm à te divelli. Sed quid? an ego paterer tuam fidem in dubium vocari? quàm maximè probitatis nititur opinio. Dixeras de Turulone, præstanti viro, non solum animi, verum etiam fortunæ bonis ornato: cujus mihi fuit, item ut esse debet, auctoritas gravissima; nec ausus sum repugnare: dedi manus. *ἰτέον*, conclusi. Quod si Jannotus, quem novi rerum agendarum usu peritissimum, antiqui hominem officii, pollicetur sese impetraturum: suscipio; quod abjeceram, consilium; nec jam amplius *ἰτέον*, sed hic, hic nimirum *Φιλοσοφῆον*, idq; nobiscum, summa cum animi voluntate clamo. Ergo, quod jam institueram, observabo omnia, omni enitar studio, omnibus inserviam. Volo te benè sperare, me agente, bonis faventibus, invidis & obrectatoribus imbecillis. Molino parum abest, quin vehementer invideam. Quid ni? artem memoriæ tenenti. Veruntamen impedit amor, à quo abesse solet invidia: etiam ea spes, quòd ille, quò eum bono alienus homo impertivit, civi suo, homini amantiſſimo, fortasse etiam benè merito, certè nunquam denegabit. Esset enim sui dissimilimus, id est, humanitatis expers. Sin recusat: allegabo ad illum, quem? quem putas? te scilicet, cui debet omnia: si modò in virtute omnia posita sunt: quàm

quam ille discit te magistro. Καὶ σὺν τῷ ἐρχομένῳ;
quid non impetremus? Vale.

EIDEM, PATAVIUM.

EPIST. XIV.

Primò negat, se Mureto plus oneris impositurum, quàm occupationes ejus fuerant. Deinde illum hortatur, ut Tibullum & Propertium eodem modo, quo Catullum jam expolierat, adornet.

Profectò nihil est uberius amore in me tuo: nec amorì cedit ingenium; itaqve meâ causâ & vis omnia, & idem facillè præstas. Quod cum ita sit; nimis tamen facerem impudenter, atq; adeo neq; ipse te amarem, nec amore tuo dignus essem, si plus tibi oneris imponerem, quàm occupationes patiantur tuæ. Scholiis, quæ polliceris, contentus ero; quandoquidem video te commentariolo non vacare. Tu modò, qui Catullum expolieris, da operam, ut in Tibullo, & Propertio, qui locum illi proximum, in elegantia verborum, atq; in sententiarum concinnitate obtinent, quàm simillimum tui te præbeas; ita tres pulcherrimi poetæ & sine dubio inter Latinos in illo festivo genere principes, veterem suum splendorem, ereptum vetustate, atq; hominum inscitia, tuo maximè studio recuperabunt. Ego autem ipse mihi gratulabor, & quodammodo gratias habebo, quia te ad hanc industriam excitaverim. Nec desinam eadem ratione de literis, quando per humanitatem tuam licet, benè mereri: cum eo tamen, ut tibi, homini occupatissimo, studioso-

rum utilitatem, id est, tuam laudem verecundè commendem. Molino meo salutem, & simul age gratias de scriptis meis. Vale.

EIDEM, PATAVIUM.

EPIST. XV.

Mureti silentium accusat: ut & Molini. Verbum Calvier in antiquo Codice repertum ait. Ut absoluto Proportio ad Terentium accingatur, monet.

BInis jam literis de Marcello: nec tamen à te verbum. Valdè te distentum esse oportet, qui tam longis diebus, tam pone tuas ædes habitantem alloqui non possis. At quæ de re? primum meâ, deinde eâ, in qua non ultra sex aut septem verba sermonem continuare sit necesse. Quare, si te nimis urfi, velim ignoscas; tum, si per tuas occupationes licet, frustra ne urserim, efficias. Quid? Molino nostro negotium dederis; non reculabit, nostrâ utriusq; causâ. In quo danda opera est, ut omnino responsum ab illo aliquod exprimat. Nam ex hominis diuturno silentio adductus sum in suspicionem, ne parum sincerè mecum agat, & exactum neget, quod jam in usum suum erogaverit. Quod æquidem cupio esse falsum, & me de amico pervertere scelerè suspicari. Nunc audi, quod tua magis interest. Quamquam nihil ad te pertinet, quod me quoq; ipsum non attingat. Necte puto aliter esse animatum erga me. Veruntamen audi, quod certè non expectas. Quænam ei deberi à te putes evangelia, qui librum invenerit antiquum, & illam aperuerit

ruerit latebram, ubi, Calvier, illud fit aliquando deprehensum? equidem inaccessi omnibus latitiis, ut ait ille. Sed abuntur enim illæ turbæ, & comprimetur quidquid erat sermonis adversus te dissipatum. Quod ego & tuâ, & eorum, quos dilexi semper, causâ vehementer cupio. Verum primum quidque explicemus. Nunc Tibullus instat, denuo prelo subjectus. Is, & qui sequitur, Propertius, absolventi tibi sunt. Deinde ad Terentium accingere. Interim da operam, ut Bembi libro uti possis: cuius ope quoniam maculas eluas bene multas, & suos versibus numeros, alienâ culpâ perturbatos, restituas, etsi non dubito, tamen hortor ut adhibeas diligentiam. Cupio enim de te omnes bene sentire: cupio comprimi os paulò liberius loquentium; quoniam non modò te, verum me quodque, videntur ignorare, non sine causâ ea, quæ soleo, de tuo ingenio, ac iudicio, prædicantem. Vale. Venetiis.

EIDEM, PATAVIUM,

EPIST. XVI.

Nunciat Mureto, amanuensem sibi restitutum esse, atque hoc nomine valde lætatur.

PAululum nunc quidem ego exorior: posteaquam mihi amanuensis meus, quem abduxerant aliena consilia, optans, optanti restitutus est: cuius operâ, & officio meis oculis, vel planè totius corporis veletudini consulitur egregiè. Jam me labefactabat, jam nutare cogebat labor; stomachumque adjicere quotidiani vel operis vel officii scri-

scriptio necessaria cœperat; & is, quem Bononiâ expectabam, differebat adventum usq; eò, ut, venturus esset, necne, vâldè jam suspicarer, atq; subdiffiderem. Qui si venerit, erit omninò aliquid, sed, ut arbitror, nihil ad Herculem: quem scis meam non modò orthographiam, totamq; interpungendi & distingvendi rationem tenere, verùm ita manum, quoq; cum velit, imitari, ut te ipsum, peritissimum literarum meatum cognitorem, aliquando fefellerit. Scribe, inqvis, ubi tantùm necesse est: ita scribes rarò. Non ita est; possem studia mea, quæq; habeo instituta, quæ multa sunt abjicere: literis verò salutantium amicorum, aut aliquid à me postulantium, quaternis in die minimum, sæpe octonis, & denis, non respondere quî possum? ut omninò aut, amittenda valetudo, aut humanitas deserenda videatur. Quare locum habes gratulandi. Debes enim meis perinde commodis gaudere, ac tuis, magis etiam fortasse; quòd ego minùs quàm tu, possum incommoda sustinere. De Tibullo, cessator esse noli, etiam si tibi ego cessandi facultatem prolixè detulerim. Est enim, ut scripsi antea, unius preli opera, ne tibi crebra appellatione molesti essemus, intermissa. Verùm istos ego quotidiè poëtas, quos in manibus habes, amo vehementius. Causam quæris? quia tuas, amantissimè ac disertissimè loquentes, eliciunt epistolas: quarum non modò svavitatem, verùm etiam fructu aliquo, occasione sublata, carerem. Quod cum ita sit; cupio tamen, atq; etiam, si pateris, rogo, rationem habeas rerum mearum: quibus quo longior, eò gravius procrastinatio damnunum

num inferet. Vale. Ante solis ortum, albescente die. Venetiis.

Respondet Muretus Vol. I. lib. I. Epist. 12. Heri ad te.

EIDEM, PATAVIUM.

EPIST. XVII.

Respondet Mureto ad Vol. I. lib. I. Epist. 6. Si Pegasi.

Queritur, nulla Catulli folia ad se perlata esse.

Quæ si perierunt, magnum damnum se fecisse asserit.

TU vide, cui credideris. Nam ad me nulla dum perlata sunt Catulli folia. Quæ si periire: damni factum est eò plus, quòd nec ad illa, quæ sunt apud te, licet transilire. Quandoquidem ordo foliorum non servatur; nec pagina pagina, nec versus versus respondet. Itaque magnam utriusque nostrum causa sustineo molestiam; vereorque, ne, quod aliena culpa contractum est, nimis ego id graviter lumam. Tota enim typographiæ ratio mutetur necesse est, nisi hæc, quæ ne funditus interierint, magnopere timeo, hodie folia recuperantur. Quod utinam ex hac difficultate, in quam alienam vel fœcordiam, vel perfidiam conjectus sum, tuæ me literæ eripiant; quas ad meas hesternas cras exspecto, & ad has omninò perendie, Vale. Venetiis.

Respondet Muretus Vol. II. Epist. 4. Ardeo iracundiâ.

EIDEM, PATAVIUM.

Scriptam esse apparet hanc epistolam statim post præcedentem, & ante acceptam quidem à Mureto responsionem.

EPIST.

EPIST. XVIII.

*Latatur ob redditu Catulli folia, quæ perditu fuisse
pneabat.*

SEdata jam tempeſtas omnis eſt, & navigamus in
Sportu. Reddita mihi ſunt hac ipſa hora, quæ
tu tribus antè diebus miſeras. Quinqve Catulli fo-
lia delata prius ad eum, qui libros in Afulana tra-
ctat officina; hodiè tantùm, ut ipſe aſſeverat, ap-
ex literis tuis oportuit, nudiuſterius, divinare non
poſſum. Hoc certè video, per communes tabella-
rios non eſſe miſſa: quorum fides in reddendo deſi-
derari non ſolet. Sed profectò fortuita multa; qui-
bus perturbari, & fluctuare vitam hominum, ne-
ceſſe eſt: quæ cavere conſilio, aut ratione ſi liceat,
benè cum multis ageretur. Penderet enim à pru-
dentia felicitas. Nunc æqvè omnibus occurrunt in-
commoda: Uſq; quæquæ caſus, & fortuna domina-
tur. De filiolo meo, amabo te, quèmadmodum a-
nimo, ſic lingvâ faveas, primùm amoris noſtri, de-
inde ominis etiam cauſâ. Auferet ille quidem om-
nem jucunditatem: & planè divellar à me ipſo;
ſed hoc tamen antepono, niſi fallor, ſalutare conſi-
lium; & ut ei conſulatur, animum vinco. Quod ite-
rum jam ad me, Molini manu, gratulor, penè etiam
ſubinvideo. Meus enim à me, nec ut puto, reditur;
Tiro diſceſſit: quo conſilio, de ipſo cognoſces. Cum
ad me retuliſſet, neq; ſvaſi, neq; diſſvaſi; ne diſſenti-
rem in hoc ab ipſius patruo, in illo autem à me ipſo.
Svaſi etiam potiùs. Contra voluntatem, inqvies &
judicium? ſic ſum. Avertere à me volui, quæ pote-
rat

rat exoriri, suspicionem utilitatis, & commodi mei. Clausula sit, quod initium Epistolæ fuit. Restitutus mihi videor, inventis Catulli foliis. Tu quoque; redi ad tuam tranquillitatem, nec institutum omitte. Vale.

Respondet Mureto Vol. II. Epist. 5. Quàm pænè furvæ.

E I D E M, P A T A V I U M.

EPIST. XIX.

Respondet Mureto ad Vol. I. lib. I. Epist. 8. Ego verò te nihil.

Consultus à Mureto, cui Opusculum suum inscribat, respondet, se id nescire: quandoquidem divitum, inscitiam bonæ artes jaceant: Nominat tamen duos, quibus id inscribi posse existimat.

Quid? tu me putas hoc in genere acutissimum? fuit, cum ipse quoque mihi planè ita persuaderem: nunc nihil minus. Nam hoc toto biennio profus nihil vidi? &, ut omittam cetera, meum illud tantarum vigiliarum munus, non tibi venit in mentem, quàm miserè perierit? itaque; qui mihi ipse tam malè consuluerim, invitus adducor, ut alteri consilium dem, Vides jacere bonas artes; illa fordere, quæ præclara ducebantur. Cujus maximè vitii culpam sustinet eorum inscitia, qui putant scilicet in opibus esse omnia, & fortunæ pedissequam esse virtutem: stultè: nam illi & viventes audiunt pessimè, verissimisq; maledictis proscinduntur; &, ubi è vita discesserint, æterno silentio damnati, apud omnem posteritatem ignorabuntur. Nos autem nunc quidem fruimur suavissimâ omnium, & jucur-

cundissima voluptate, quæ manat ex honestis cogitationibus, ac studiis: nec erit, opinor, ulla, quæ nostræ vitæ cursum definiat, dies. Non in omni ætate decus, ac dignitatem pariet ea, quæ nunc, auri, argentiq; vis. Suis cuiq; aliquando, pro animi ingeniiq; præstantia, persolvetur honos. Interim vivamus nobis ac literis, sejuncti ab iis, quos nutu appello, id est ab ipsa planè barbarie; ne quam eorum convictu labem contrahamus. Munusculum tuum non video, cui deferas. Inania tibi nostra, mihi nec peregrina solida videntur: siquidem ipse, quod jam significavi, diu peregrinatus, oleum & operam. Nobilitatem & virtutem si quæris, est Bononiæ Camillus Palæottus, Mediolani Bartholomæus Capra, duo quavis laude, ut ego sentio, excellentes viri. Capram nunquam vidi, sed hominum sermone, tanti facio, quanti, si ille sciat, studio me, non dubito, quin mediocri complectatur, & in amicitiam planè intimam recipiat. Palæotto, quæ est hominis humanitas, usus sum, quam diu Bononiæ fui, familiarissimè. Omnes in eo disciplinae sunt, nobili viro dignæ: morum autem elegantia, comitate, officio summus est. Hi sunt nobis orandi, & diligendi: Crassos quosdam, ac Midas nunquam omninò nostra meliores laudatione faciemus. Quin ita desipiunt, ita ipsi se ignorant & ignorari ab omnibus putant, ut in sinu sibi gratulentur; quasi sint, quos esse fingimus: cum nos ea ipsa, quæ desideramus in illis, ad cohortandum, non ad laudandum, colligamus. Habes meam sententiam, quos vites, quos deligas. Nominare præ-

petere m
 idos excel
 scillima
 difficultat
 est: Ambro
 na. Locus
 omniane cu
 antiniqui:
 finus, qu
 dere debe
 Respon

E I

Legum
 a. 6. 1. 1. 1.
 Locus
 cum ipse
 necessarium

Mhi vero
 tur. E
 no sis, in hoc
 omittam reli
 zera tum
 cili quodam
 ad ipsum p
 multos, car
 ma explicat
 facultate,
 gloria, nov

præterea multos possem: sed incerta ratio est: & illi duo excellunt? Occurrit illud: Ad ignotos, non facillima *ὀρθότης*. Aliis, fateor: te quidem ab hac difficultate vindicat ubertas ingenii tui. Alterum est: Ambitionis, aut etiam levitatis cavenda suspicio. Locus omnino aliquis calumniæ dabitur: sed omniane curanda? nimis misera conditio. Valeant iniqui: rectè sentientes probabunt: nec nos ii sumus, qui à multitudinis depravato iudicio pendere debeamus. Vale.

Respondet Muretus Volum. II. Epist. 6. Quod dicitur.

EIDEM, PATAVIUM.

EPIST. XX.

Legitur & inter Epistolas Mureti Volum. I. lib. II. Epist. 21. & ipsi respondet lib. I. Epist. 9. De Propertio.

Laudat in Mureto ingenii deξιώτητα, atq; eo nomine eum ipsi gratulatur, tum etiam Italiae, cui novum decus accessurum sit, ipso in ea sedem locante.

Mihi verò, ita vivam, etiam atq; etiam probatur. Et, cum in quovis genere magnus omnino sis, in hoc maxime videris excellere. Planè (ut omittam reliqua) ingenii tui quasi quandam *deξιώτητα* sum admiratus! Ita concinnè, ita aptè, facili quodam sententiarum nexu rem ducis, donec ad ipsum pervenias: in quo te, ubi scis hære, multos, circa omnem adulandi suspensionem, summâ explicas cum dignitate. Gratulor tibi de ista facultate, & eò magis, quòd, si locis impertitur gloria, novum decus accedet ad Italiam nostram:

in qua sedem, auctore atq; auspice me uno, ita locasti, ut cogitare nihil prorsus de migratione videaris, Nec verò secus debes. Valde enim ad literarum elegantiam, planeq; ad omnem humanitatem tibi profuit hoc cœlum, è quo jam per quadriennium spiritum hauris. Itaque noster eris perpetuò, mi Murete, si gratus esse vis: quod profectò vis: soles enim hanc virtutem præter cæteros efferre. Tibulli principium mitte, ut cum epistola conjungatur. Scholia, non dubito te operam daturum, ut tua videantur, id est, lita luminibus ingenii, & quantum res paritur, erudita. Vale. Venetis.

Respondet Muretus Volum. II. Epist. 7. Epistolam meam,

EIDEM, PATAVIUM.

EPIST. XXI.

Respondet Mureto ad Vol. I. lib. I. Epist. 5. De Torquato.

1. *Monet Muretum, ut Propertio illustrando operam det, & illum unà cum Tibullo dediceret Torquato Bembo.*

2. *Germano sibi commutato, quantumvis peregrinitas repugnet, tamen studia sua non desore promittit.*

GRÆCOS typos, meumq; de Syriano edendo consilium probari tibi non mediocriter, significas. Sic putàram: & in utroq; nunc mea tum opinio, tum voluntas, te approbante, qui mihi multorum instar es, magis magisque confirmatur. De Catulli clausula, parum commodè: sed nihil, Mureto

retò petente, recusandum. Video te Propertium negligere: cum ego me illis verbis, quæ sunt in prima Catulli pagina, quasi prædibus obstrinxerim: AB EODEM CORRECTI, SCHOLIISQVE ILLUSTRATI. Itaq; nec integrum jam est: & si fit, cur tu poetam elegantem, maximeqve omnium Latinorum fabellarum varietate, hoc est verè poetica eruditione florentem, abjicias? Etiam illud: oblitusne es, ei te commentarium publicè esse pollicitum? Scholia, saltem, si commentario non vacas: & utrumq; Torquato: aut, si uni utrumq; non vis, Propertium, cui videtur: inops enim ab amicis non es; sed malim utrumq; Torquato; qui nobilitatem à patre, virtutem habet à se ipso. Dices, tibi otium deesse. Si hoc impedit; faciam, ut abundes. Inibo enim rationem ejusmodi, ut operæ meæ, quarum tibi molestia nunc celeritas est, gradu testudineo pergere videantur. Germano tuo cupio meherculè satisfacere: sed adversantur multa, maximè peregrinitas, haud satis apta nostris moribus, & ignoratio sermonis Italici. Meum tamen illi studium nullo loco deerit, si monuerit; si in ipse aliquid videro, in quo liceat ejus rationibus consulere, aggrediar, & quantum in me erit, perficiam. Vale. Venetiis.

Respondet Muretus Vol. I. lib. I. Epist. 9. De propertio.

EIDEM, PATAVIUM.

EPIST. XXII.

Respondet Mureto ad Volum. I. lib. I. Epist. 11. Hæc ad te.

*Scholia Mureti in Tib. & Propert. laudat; utq; per-
gat, monet.*

VEhementer mihi arrisere tua scholia, sicutinquam,
ut ferè se commentario æquare videantur. Per-
ges igitur, diis benèjuvantibus. Cupio tuum,
Plinium: quem dare poteris amanuensi meo: cui
reditum patruus, nuperè Cypro advectus, mul-
tis à me verbis impetravit. Exspecto reliqua; quod
tuo tamen commodo fieri possit. Nam, ut tuis con-
suleretur studiis, & commodis; cessare de duobus
prelis unum maluimus, quàm te nimis urgeri. At-
tamen rogo, des operam, ne longiùs ducatur. Vale.

EIDEM, PATAVIUM.

EPIST. XXIII.

Queritur de suis calamitatibus.

OMi Murete, quot me premunt onera! quibus
angor curis. Accedit imbecillitas valetudinis,
quam, do equevidem operam, ut omninò tuear, ac
sustentem: sed vacillare interdum necesse est: ita
multa incurrunt in nos; quæ nec vitare licet; nec
sumus ad sustinendum pares. Tu me, tuus amor,
tua virtus multum levat. Quod spero perpetuum,
nec, ut ait noster, constantiæ causa, sed voluntatis
ac iudicij. In erratis cur numeras Mœror, & Flam-
ma? quorum alterum vetustas universa, alterum
consuetudo probat. Etiam, sæcula, tum scribebant.
Nam Varro in Etymologiis Varro non videtur; ita-
que & à Quinctiliano meritò ridetur. Exspecto Ti-
bulli folia, quæ supersunt, & scholia, Vale.

EIDEM,

EIDEM, PATAVIUM.

EPIST. XXIV.

Respondes Mureto ad Vol. I. lib. I. Epist. 12. Ego veri Herculi.

Gratulatur Mureto de Ferrariensi conditione, si vera sunt, quæ sparguntur: Sin minus, hortatur ipsum, ut Patavii diu commoretur. 2. Queritur de Mureti amico, qui ad alium de se falsa detulerit.

Molino dixeram, quæ tibi si narravit, iteranda non sunt; sin omisit, committenda literis non videntur. Nectamente diutius celabo: interim hoc unum; quo fortassè contentus eris: ad alios potius, quàm ad te, pertinere, nec ullam omnino tuæ dignitatis & existimationis partem attingere. Hic sermo increbuit, ex quadam tua, ut audio, ad Lambinum epistola, captum tibi jam esse de Ferrariensi conditioe consilium. Quod si ita est; magnoperè gaudeo, ac tibi Deum ea, quæ cogitas, vehementer cupio fortunare. Sin autem hæc inania sunt, ac temerè jactata: æquè lætor; teq; hortor, pro mea in te benevolentia singulari, ut habeas rationem in primis non modo tranquillitatis, verum etiam constantiæ tuæ, velisq; Patavinam commorationem esse quàm longissimam. Ego tamen, quidquid egeris, meam non modò voluntatem, verum etiam sententiã cum tua conjungam; sed vereor, quod minimè velim, ne quis, in te non rectè animatus, sermonis materiam nactus, levitatem objiciat. Jam enim quiddam inaudiui. In Tibulli

quartum, aveo scire, cur nihil volueris. Nam, posse te, certum est. Nos opus intermisimus, donec à te plurima colligantur. Scis consuetudinem preli. Urgebit te, quo tempore minus expectabis, & opprimet nec opinantem. Quare cum otio nostro tuum negotium metiri non debes, sed, cum jacere nos videmur, ipse nihilo minus ad industriam excitari. Amicus ille tuus, cujus ingenium, ut in adolescente, laudabamus, detulit quædam ad N. quæ si ille vera putasset, incenderetur adversus me, & institutam amicitiam, quam spero fore diuturnam, abrumperet. Te unum testor, quid ego de illius doctrina, atque ingenio & sentiam, & sæpe prædicarim. Ille tamen simiolus longè aliter; vel quòd est, ut multi, insensus Italico nomini; vel quòd naturâ improbus, qui fingat ea de me, quæ repugnant penitus iudicio meo, atque etiam naturæ; cumque ornatus à me sit, detrudere tamen de mea laude conetur. Nec tamen est nihil, quod ad te ipsum pertineat. Quæ, quia sunt injusta, contemnes; ut ego, quæ sunt falsa. Vale. Venetiis.

Respondet Muretus Vol. I. lib. I. Ep. 13. Si nihil est aliud.

EIDEM, PATAVIUM.

EPIST. XXV.

Argumentum hujus Epistolæ Manutio dixit quasi Muretus ipse Vol. I. lib. I. Epist. 14. quæ incipit; Cum constituissem: verbis iis: Nunc cuperem &c.

Laudat Mureti prudentiam, quòd speratà honorificam conditione ipsi delatà, apud Card. Estensem manere

re decreverit; illumq; monet, ut operam suam summo Principi dicet, à quo sit fructum studiorum capturus.

CUM antea, multis mihi declaratam argumentis, tuam prudentiam valde probavi; tum verò, lectis tuis literis, laudavi te, ut hominem confilio præditum excellenti, atq; etiam, ut virum bonum, qui nihil antefert honesto, suaq; maximè fidei, vel cum rei familiaris ingenti jacturâ, sibi esse habendam rationem existimat. Optima tibi deferebatur, admodumq; honorifica conditio, avidè à multis & ambitiosè petita. Nihil occurrebat contrâ, quin accipienda videretur. Tu tamen rejicis: & facis, meò judiciò, sapienter: primùm, quia tueris officium, qui Cardinali Estensi jam promiseris: deinde, quia ne sic quidem tuam utilitatem deseris. Quis enim illo ad liberalitatem propensior? quis paratior fortunæ bonis? habes igitur in eodem, cum voluntate rem. Nectuis es, in quem aliquid indignè conferatur. Atq; etiam, quò major, ac præstantior adesse, ac se tibi offerre videtur occasio, cum summo Principi, singulari viro, tamen operam dices; eò tuam acues, atq; excitabis industriam diligentius; ut ipse te vincas, & benevolentiam Cardinalis eximii omni tibi ratione concilies. In qua unâ si tuæ vitæ quasi tabernaculum constitues, & ita perpetuò senties; ô te felicem, Murete, nec jam, amplius à Fortuna pendentem, quæ tui similes sæpè jactat arbitrio suo. Nunc ego quidem à te fructus tuorum studiorum uberrimos, de quibus me sæpè prædicantem audiêre multi, non solum expectabo, verum etiam exigam. Quamquam tu

mea certè monita non expectabis. Novi enim tuos sensus hac in re cum meis optimè congruentes, ut eam deniq; esse vitam ducas, quæ vivitur in studiis, cetera inania, speciosa multa, plerumq; tamen falsa. Interim frui tecum ipse, & quod ajunt, in sinu gaude tantæ felicitatis expectatione: quam æqualem video fore vitæ tuæ, ipso vivente, qui te expectat: quem debes, vel si tibi Cræsi opes ostendantur, unum sequi, & unum ornare tuis studiis; vel potius ex ipso tui ornandi atqve illustrandi capere argumentum. Vale. Venetiis.

EIDEM, PATAVIUM.

EPIST. XXVI.

Habes hanc Epistolam, sed capite truncatam & caudâ, & apud Muretum Vol. II. Epist. II. Respondet autem Epistole Mureti 10. quæ ibi præcedit: Magis magisque.

1. Rogat Muretum, ut amico gratuletur de conditione, quam illum nactum esse scripserat. 2. Cupit sibi versus ejus mitti, sed non amatorios, à quibus alienior sit. 3. Exponit, cur ipsum amaret. 4. Facit ipsi spem sarcinendi damni, quod ob subitam migrationem facturus sit. 5. Monet ipsum, ne secessum contemnat.

Laborabam vehementer de amico nostro: nunc animum meum constituit, aliquo interdum, ut verè dicam, metu fluctuantem, epistola tua. Atqve ad metum accedebat indignatio. Quid? virtutine deerit ornamentum? aut etiam locus, ubi consistat? tantane est temporum iniquitas, & hominum in suis bonis ignoratio? hæc ego quandoqve
mecom

mecum: nunc vacuas curarum sum, & ex eo, quod
 significas, ut in exoptata fortuna triumpho. Velim
 igitur ei meò nomine gratuleris. Tuos versus, tua
 fretus humanitate, jam promiseram. Eos expecta-
 bo, minimà, si fieri potest, interposità morà. Nec
 tu velim me diuturna expectatione ducas. Illa ad
 illos, qui te nunquam amarunt, quos malè scis au-
 dire suo merito, cur non transferas ad alios? equi-
 dem svadeo. Quod si tenerem *ὀπίθεον*; facile di-
 cerem, ad quem. Me à lusibus, *καὶ διὰ πάντων τῶν*
ἐπιθυμιῶν, planè revocat non solum natura mea, sed
 ætas etiam, senectuti propior, quàm adolescen-
 tiæ. Itaq; si quid ad me scribes, remove, amabo te,
 omnia, quæ dilexisse Plato videtur, *ἀσποδίσια*.
 Intelligis, opinor, quid significem: & quod signi-
 fico, petere me, vel cupere etiam, si me putas in-
 genium tuum nosse, existimabis. De benevolen-
 tia tua, etsi nunquam dubitavi, ex te tamen ipso ea,
 quæ opto, libentissimè audio. Quamquam ad stu-
 dium in te meum nihil addit studii tui commemo-
 ratio. Non enim te amare cœpi, ut ipse me ama-
 res, sed quòd amabilem ipsum te esse duxi multis
 nominibus; quæ tibi ipsi ne exponam, non modò
 meus, verum etiam tuus pudor impedit. Jacturate
 movet rei familiaris in discessu repentino? Noli
 laborare: lucrum erit in damno; si spectes eum,
 qui te excipiet, præstantem virum, erga tui similes
 optimè animatum; ejus egregiam voluntatem,
 non dissimilis fortuna comitatur. Sarciet igitur ille,
 siquid ob subitam migrationem damni facies: & ut
 spero, tuum te consilium, quotidiè magis oblecta-
 bit.

bit. Polam video te abjecisse, & lætor mehercule tuâ causâ. Veruntamen, si quando opus erit, secesum illum non contempnes: ut habeas tu quoque, exemplo Africani, & Lælii, tuum Lucrinum, cujus in littore, neglectis Regum thesauris, omni profusus ambitione solutus, aut conchas legere, aut fluctus numerare possis; eoq; lætius, si me tibi tantæ comitem voluptatis Deus obtulerit. Verùm hæc, ut quidem nostræ nunc utriusq; res habent, inania: quæ tamen, si perfectè saperemus, omnium fortasse prima. Sed vides me tecum garrere? captum voluptate sermonis, dum te quasi præsentem alloquor, & utor manu ejus adolescentis, quem jure Latii donatum, Cretensisibus ademptum, affirmo tibi dignum aliquando fore nostrò contuberniò. Quod quidem studiosè agit, tuo maximè exemplo incitatus. Etsi non te nostrâ domus, sed tua te industria, tuum nobilitavit ingenium. Libri aliquando exierunt, quos ad te mitto, juvenis optimi & insigniter eruditi, Onuphrii Panvini. Non dubito, cum legeris, quin meum de illius præstanti virtute testimonium confirmes. Habet alia in manibus, unde fructum studiosi capere vel maximum possint. Quæ ut edat maturius, otium illi exoptare, qui rerum nobilium scientiam appetunt, omnes debent. Vale. Venetiis.

Respondere videtur Muretus Vol. I. lib. I. Ep. 15. Valdè recreatus.

EIDEM, PATAVIUM.

Respondet Mureto ad Vol. I. lib. I. Epist. 10. Cum Venetiis discederem.

EPIST.

EPIST. XXVII.

1. Excusat se de raritate literarum.
2. Laudat libros ejus Var. Lect.
3. De nummis, de Dionysio, de Gallorum rege quædam addit.

*Form. Judicium de aliorum scriptis. Noli expectare
rejudicium (A)*

Vix credas, quàm non facilè mea manu literas conficiam; & quàm facilè, cum utor amanuensi, fluat oratio. Itaque scripsi ad Severum laboriosè, quòd inambulans, ut antea solebam, minimò negotio dictassem. Discessus ille meus, magnorum index malorum, ut ab amicis tunc, falsa conjecturâ ductis, putabatur; familiares meos, quorum uti operâ confvèram, Podocatharum, Fasinardum, postremò etiam Nicolaum Cretensem mihi ademit. Filium habeo, sed puerum adhuc, & imbecillo corpore, & occupatum satis domestica curâ. Itaque posthac, nisi quid occurrat gravius, perquam rarò, & quàm brevissimè scribam. Venio ad literas tuas. Reversus è Foro Julii, quo exieram non tam negotii, quàm valetudinis causâ, reperi librum tuum, Variarum Lectionum, quem apud Sixtum Medicem, communem amicum, excellentem virum, reliqueras. (A) Noli expectare judicium meum. Malo enim te ab aliis, quid te tuis studiis, quid de ingenio existimem, quàm à me ipso, cognoscere. Unum tamen illud non minùs verè, quàm libenter dicam, nihil me adhuc in hoc genere legisse ornatius, nihil eruditius. Quod autem
qui-

quibusdam in locis & à me dissentis, & egregiis idem laudibus me ad cœlum tollis: parcius utrumque vellem: sic enim utrumque; fortassè verius: ago tamen gratias, quod publicam utilitatem rebus omnibus anteponas. Quam ego antea consuetudinem, acceptam à patre, servavi meâ sponte, & servabo posthac, tuo invitatus exemplo, diligentius. De nummis, cum lubebit, atque adeo ut lubebit, Urgeri enim eum, quicum tibi usus intercedat, nisi quidem ipse velis, facile permitterem. Dionysius paulò seriùs, quàm putaveram, absolvetur. Moram injecit commissa inter operas rixa, absente me. Neque tamen hâc satis levi, sed aliis adductus causis, quæ ponderis longè plus habebant, penè totum consilium abjeceram. Nunc, te hortante, ac momento etiam ut celeriter, quid agam? quid autem, nisi quod ipse cupis? quod certè meâ causâ cupis. Urgebo igitur pro virili, nec impensæ parceretur, aut labori. De Gallorum Rege, dolui fanè graviter dolorem vestrum: sed, humana quæ sunt, humaniter ferenda. Nec vobis doctrinæ remedia, nec ea, quæ sumuntur à rerum usu, deesse possunt: & tu mihi miranda narrasti de Cardinalis pietate in Deum: quo ille se, vosque omnes præsidio adversus iniquitatem fortunæ præclarè tuebitur. Vale. Venetiis.

JOANNI BAPTISTÆ RHAMNUSIO, XVIRUM CONSILII A SECRETIS, Venetiis.

EPIST. XXVIII

Gratulatur Rhamnusio de dignitate Secretariatus in Xvirum Consilio; & illum hortatur, ne senectutem suam laboribus frangat, sed libros de Itinerum & Navigationum cursu perficiat.

CUM à nòbilibus viris, in hæc loca vel animi, vel negotii causâ confluentibus, dignitatem illam, quæ maxima est in nostra civitate, ut arcanis præesses præstantissimi Xvirum Consilii, summo omnium consensu tibi esse delatam accepissem; magnoperè sum lætatus, tum pro ea, quæ olim inter te, ac parentem meum mutua semper fuit benevolentia; tum pro mea in te vetere observantia, orta primum à meo de tuis virtutibus iudicio, deinde à te multis, ac variis, ut tempora tulerunt, erga me, meosq; officiis vehementer aucta. Atq; ego meam tibi penè incredibilem lætitiã; ex honore tuo susceptam, statim literis declarassem, nisi autumnò jam exeunte, brevi futurum sperassem, ut, in urbem reversus, præsens præsentì gratularer, neq; solum ex oratione, sed ex vultu, & oculis, qui sunt indices animi, de meo in te studio, intimoq; sensu iudicares. Hæc ego me non multorum dierum expectatione cum sustinerem, ecce tibi amicorum literæ, ecce nuncii, proximis comitiis tulisse te fructum antea actæ vitæ omnis, tot peregrinationum, quas in Galliam, ad Helvetios, Romam, etiam ad hostes armis infestos, reipubl. causâ suscepisti; tot consiliorum, quæ à te fluxerunt ad augendam, quantum in te fuit, patriæ dignitatem. Cum enim longo post intervallo in eum locum rediisses, unde magistratum designatorum nomina recitantur; coniu-

xit Senatus universus, ex tuo conspectu mirifica voluptate perfusus. Quæ tum amicorum omnium, perspicua significatio ita te commovit, ut illico magna vis lacrymarum exciderit, intuenti benevolentiam tuorum civium, quos in omni ætate dilexeras, quibus jam inde à prima adolescentia, parentis tui, summi viri, exemplò, omnibus officiis infervieras, nullâ tibi, præterquam amoris, præmiorum spe propositâ. Fuit igitur eo die mutuus, & æquale gaudium, Senatûs primùm, ubi tuam sibi vocem claram pariter, & suavem, in pronuncian-
dis magistratibus vidit esse restitutam, quam post obitum magni Cancellarii Francisci, nimium sæpe desideraverat; deinde tuum, cum illa tibi cum incredibili gaudio, ac penè cum clamoribus universâ confurrectio, quid de te tui cives existimarent, quo te studio, quæ caritate complecterentur, ostendit. Enimverò lætari te puto, quòd quidem jure facis, summo dignitatis gradu, quò te tua virtus extulit, ut arcana illa tractares, quæ ad reipubl. salutem, & hujus magnitudinem imperii pertinent. Verùm hoc sæpè vidimus aliis quoque contingere, optimè scilicet de patria meritis: nec enim honor in quæquam, qui sese magnis in rebus non sæpe probaverit, confertur: studia verò tanta, testimonium tam illustre, consensum ejusmodi, quando ullâ omnino in re, vel in quæquam omnino hominem vidimus, aut audivimus? itaque, cum ad meam priorem lætitiâ nihil addi posse existimarem, nunc tamen accessionem haud mediocrem novi gaudii factam esse confiteor: ut eam testari literis, ac tibi, quo

quomodo, licet indicare sim coactus. Video enim
 te uno die, atque unâ planè hora mercedem cepisse
 non modo meritorum tuorum, quorum habes
 testem universam penè civitatem, verum etiam
 perpetuæ tuæ molestiæ; cum amore ac iudicio patriæ
 contentus, nulla unquam commoda, nullum honorem tibi esse petendum statueris; ut admiratio
 simul & dolor propinquos, ac familiares tuos ferè omnes afficeret, quòd istâ dignitate, quæ
 tibi nunc incredibili omnium studio delata est, ornari antea noluisse. Quorum te denique, ac simul
 omnium civium voluntas, atque cohortatio vicit, & ad honorem exoptatus, atque accersitus
 accessisti, nulla usus precesatione, nullis precibus, tua virtute commendatus, quæ tibi omnia omnium
 suffragia facilè impetravit. Quando igitur, honore accipiendo, patriæ satisfecisti; dabis eidem optanti,
 atque petenti, ut ad tuendam ac sustentandam senectutem tuam, quidquid curæ, quidquid
 potes industriæ, conferas: ut & tu mirifico illius in te studio, & illa tuo excellenti consilio, tuâ rerum
 omnium publicarum scientiâ frui quàm diutissimè possit. Idem te privatim rogant necessarii tui, propriè
 verò filius adolescens, in quo videtur tua virtus efflorescere, tuajam probitas, tuæ ad optimas
 res propensio voluntatis agnoscitur. Ego autem, cum nemini in te amando, colendoque concedam,
 iisdem utor precibus, ne tuam ætatem, confectam jam annis, & laboribus pro Rep. susceptis, rebus
 agendis nimium vexes. Vereor enim, (ut omit- tam publici muneris curam) ne plus officii amico-
 rum

rum causâ, quàm sustinere fortasse possis, tua tibi imponat humanitas. Quod si desidiam odisti; & quæ aliis quies videtur, laborumque, ac molestiarum quasi portus expetitur, eam tu ignaviam appellas, nec homini quidquam vitandum magis existimas: habes, in quo te exerceas: duo supersunt, aliquot jam annis instituta, de itinerum & navigationum diuturno ac perdifficili cursu præclara volumina: quæ si ad primum, quod omnes libenter, nec sine tua summa laude legunt, aliquando adjunxeris egregiam, & majoribus nostris, multisque antè sæculis reconditam doctrinam, præclaris imaginibus expressam, orbi terrarum patefacies, tuoque nomini gloriam paries haud paulò majorem, quàm quæ tibi à cunctis honoribus & magistratibus, vel magnificentissimè gestis, manare unquam possit. Eoque magis in hoc studium debes incumbere, quod omnem amœnitatem, quæ solet ad scribendum invitare, tua tibi Rhamnusia villa abundè suppeditat. Itaque frueris eodem tempore Marsangi Musis, deliciis, ac amoribus tuis; & nobis, posterisque, maximè verò Paulo consules filio tuo; cujus omnes egregiam indolem amamus, & exorientem virtutem admiramur, quem à te, nisi grave sit: etiam atque etiam meo nomine cupio salutari. Vale.

Ex Plebe Sacci, pridie Idus

Octob.

M. ANTONIO NATTÆ,
MANTUAM.

EPIST. XXIX.

Laudat Nattam ab excellenti Philosophia & Juris scientia: qua impulsus dicit, se eum amare, & benevolentia sua patefacienda causâ Mantuam excursurum, nisi adversa valetudine impediatur.

Deinde cupit scire, quibus typis velit libram suam excudi.

Form. Judicium aliorum de suis scriptis exquirere.

Num quid præterea? hoc; de meo libro. &c. (A)

GRavi, ac diuturna oculorum valetudine impeditus, feci tamen, ut literis tuis, humanissimè atq; elegantissimè scriptis quàm primùm responderem. Ego te, Natta, ex illo tuo præclaro libro, quàm de Pulchro inscripsisti, jam pridem cœpi colere. Mea tibi voluntas non patuit: ceteris, quid de te sentirem, sæpe in sermonibus declaravi. Nec verò mirari satis possum, quî potueris tantos processus in Philosophia facere, homo versatus, assidueq; occupatus in tractando Jure Civili: in quo ipso te excellere, & audio de multis, & res indicat: quandoquidem certatim viri Principes te accersunt, summisq; muneribus præficiunt. Equidem, ut benevolentiam tibi meam præsens præsentî patefaciam, cupio Mantuam excurrere: sed me deterret valetudinis infirmitas. Tametsi affirmabat is, quî mihi tuam epistolam reddidit, posse me à meis laribus Mantuam usq; non incommodè navigare. Itaq;

M

aude-

audebo fortassè. Igniculum enim desiderii vix jam fero: & si quid est in itinere difficultatis, homini præsertim imbecillo, vincet amor in te meus. De tuo libro, quid jam expectas ut rescribam? videsne me in ære tuo totum esse? impera mihi quid vis; & utere me, quantum vis: subibo omnia, & perferam tuâ causâ. Meum librum de Legibus ad te mitto. Iisdem typis, si tibi placuerit, utemur in tuo libro. Sumptus omnino major erit, quàm si litera minor, esset: verum hoc tui consilii, ac voluntatis est. Statue arbitrato tuo: perpende magnitudinem libri: deinde significa, quid velis. Mitto etiam aliud characteris genus, ut alterutrum deligas. Utrumque enim in folii, quod ajunt, formam aptè convenit. Tametsi dignitas major est in majore. De ratione sumptus, si numerum paginarum tui libri significaveris, & simul versuum in unaquaq; pagina, & literarum in quolibet versu; facillè summa fiet, & ad te scribetur. Num quid præterea? hoc: De meo libro quid sentias, cupio significes. Vix enim credas, quàm à judicio tuo pendeam. Vale.

EIDEM, MANTUAM.

EPIST. XXX.

Respond. Laudatoria Epist. Natta, & significat, laudes illius quidem sibi gratas esse; sed se illas in ipsum conjicere. Deinde desiderium suum excurrendi Mantuam exponit; sed propter valetudinem, & anni tempus cogi se, iter in mensem Junium differre. &c.

Præ-

Praclare Hector ille apud Nævium : Laudari ab te, pater, cupio, laudatô virô. Possum ego nunc idem usurpare. Video me laudari, à quo viro? à M. Antonio Natta, in quo sunt ingenii, sunt animi, ac virtutis ornamenta plurima. Ego porro ali- quid fortassè, si cum aliis conferar, videri possum; cum verò ad te unum cogitationem converto, vix credas, quam mihi ipse duplicem. Quare permitte mihi, ut eas laudes, quas in me contulisti, rejiciam; aut ipse majores in te transferam. Nam mihi, utrumq; nostrum æqua lance pendere, magni negotii non est. Ut ut est, amo voluntatem tuam. Ea mihi est, eritq; semper, ut debet, antiquissima. De adventu meo, muto consilium in horas singulas. Tu me allicis, vel attrahis potius: revocat, & retinet valetudo. Cum ad te ipecto, navim conscendo, vehor, appello Mantuam, tecum sum. Sic est amor, & illæ, quæ fluunt ex amore, voluntates. Rursus, cum ad me convertor, & meam imbecillitatem intueor; quæ macie sim, quæ tenui cute, quæm natura mollis, & proclivis ad morbos: relanguesco paululum, & quasi navim incitatam leviter inhi- beo. Vides adhuc, & sentis fortassè tentari corpora frigore, levi quidem, sed tentari tamen: vides perflari cælum ventis; rationem esse temporis prorsus incertam, & inconstantem. Quæ firmiores non timent; ego valetudinarius nisi timeam, parum videar me nosse, parum vitæ consulere, quod nec humanitatis est, nec satis primum: càm nos ju- berit ille summus Imperator quasi suos milites in hac statione, donèc ipse revocaverit, permanere. Calo-

res, ut spero, quæ mea solet esse anniversaria medicina, me mihi restituent. Itaque Junio ineunte, aut eo certè mense, te, ut spero, complectar. Sin videbo, sine meo periculo fieri non posse, ut in viam meam: docebo te literis, quid consilii ceperim. Tuum librum tractabo quàm licebit diligentia, animo certè erga de singulari. Vale. Venetiis.

EIDEM, MANTUAM.

EPIST. XXXI.

Negat se Natta librum eâ conditione, quam proposuit, posse excudere: aut vendendâ laborem in se suscipere: cum doctorum libri jaceant. Negat imprimendâ facultatem concedi, libro non inspecto. &c.

A Deone erravi, & lapsus sum in subducendâ ratione, ut de foliis quinquaginta conjecerim, quæ nunc octuaginta fore video? pudet indigentiam meam. Verùm, ut ut est, commodò meò rem suscipere non possum: nec audio recusare; ne mea fides in dubium apud te veniat. Itaque peto à te, ut cum tua ratione meam quoque ducas, nec exigas à me plus, quàm res & fortunæ meæ patientur. Nam quod ais, redituram ad me pecuniam cum fœnore, libro vendito: videlicet communi quadam, non propriâ me regulâ metiris. Non enim ego, ut alii, qui libros imprimunt, habeo statim certos homines, qui eos divendant, & longinquas in urbes, regionesque disseminent. Venduntur hic statim à meis omnes ita parvo pretio, ut lucri quidem minimum, sed minimò simul labore, minimâ

mo-

molestia fiat. Meum ergo librum itidem, inquis; vendes. De doctrina libri tui, de elegantia possum ego facillè judicare: de venditione quis præstat? an nescis, libros Latinos, optimos veteres, ita nunc jacere, ut penè sordium in genere putentur? vix jam Ciceronem ipsum, Cæsarem, Salustium legi, à multis etiam ne legi quidem, planeq; contemni? Quare noli mirari me tam esse diligentem in his rebus, quas me docuit usus penè quotidianus, & in quibus non licet esse sine magna mercede negligentem. De tempore, quod urges: facultatem imprimendi non concedunt, libro non inspecto. Atque utinam, inspecto, concedant. Quod si dixi, eos me faciles habere: non significavi, posse me, libris non lectis, impetrare jus imprimendi, sed consequi, statim ut legantur: quod ita multis non contingit. Sæpè enim vidi, non nullorum scripta, apud eos, quorum potestatis hæc tota ratio est, per multos menses custodita, neq; legi, neq; reddi. Mittas igitur librum oportet universum: mecum autem amicè ages, pro eâ, quam tu doces quotidie præclaris exemplis, æquitate. Ita, si erravi, non luam gravius, quam debeo: sin error à me non est, à te verò aucti libri magnitudo tota pendet, jus tuebere pro tuo instituto, & amico simul consules. Vale.

EIDEM, MANTUAM.

EPIST. XXXII.

Monet Nattam, ut librum suum mittat, se daturum operam, ut primo quoq; tempore lectus imprimatur.

UT concludam paucis; quando nec mihi ad scribendum, nec tibi ad legendum otii satis est: si librum miseris, imprimetur. Nolo enim me a pud te fidem in dubium vocari; nihil est tanti. De tempore, in certum est. Pendet, ut sæpè jam scripsi, hæc tota res ab alienâ voluntate. Crediderim tamen, intra mensem confici & expediri rem posse, tum studio nostro, tum intercedentibus amicis, nobilibus viris, & gratiâ florentibus. Libro non inspecto, facultas imprimendi nunquam dabitur. Scio nullam in eo labem esse, quæ legentium animos possit inficere. Novi tuos sensus, mores, probitatem: quæ ego pluris etiam in te æstimo, quàm eam doctrinam, quæ parem fortasse aliquem, superiorem certè habes neminem. Verum mos est gerendus consuetudini. Communis hæc est, non tua præcipua conditio. Ad me autem quod attinet, voluntati tuæ, in qua vim esse cupiditatis intelligo, nullâ interjectâ morâ satisfiet. Vale. Venetius.

EIDEM, MANTUAM.

EPLIST. XXXIII.

Nunciat Natæ, se de consilio medicorum Urbem ad tempus valetudinis gratiâ deserurum: ac proinde ipsum monet, ut librum suum vel statim mittat, vel imprimendi consilium differat.

Hodie, tribus medicis adhibitis, accuratè disputatum est de meo exeundi consilio. Rem probant, sed illud addunt, totam ætatem dandam esse otio, jucunditati, exercitationibus modicis; nec redeun-

deundum in urbem ante mensē Octobrem. Itaq; vehementer animi pendeo: nec, quid consilii capiam, satis habeo exploratum. In hac dubitatione venit in mentem de tuo libro: quem, si exeo, video fore, ut seriùs fortassè, quàm tua voluntas ferret, imprimatur. Quare monendum te literis existimavi, ut aut statim eum mitteres, aut imprimendi consilium differres. Ego hìc vel tuâ unius causâ commorabor, dum liber absolvatur. Quod si statuis de subita impressione; quâ velis formâ, quò caractere, quò numerò, significa. Svaderem omnino, ut aliorum operâ, me absente, uteris: sed timeo mendas, & sordes, quibus inquinari, & corrumpi tua scripta per operarum incuriam, nolim: quod tu jam sensisti in libro de Pulchro; qui tractari non potuit indecentiùs. His literis cupio à te primo quoque tempore responderi: ut quod ad me ipsum attinet, certi aliquid possim statuere. Meam enim voluntatem ad tuam accommodabo. Vale.

EIDEM, MANTUAM.

EPIST. XXXIV.

Promittit Natta, se curaturum, ut menda, quas in libro ejus invenerit, tollantur. Deinde rogat, ut librum suum abjiciat, nec illo legendo bonas horas perdat. Tertio queritur de domus sue infelicitate.

Literis tuis perlectis aggressus sum legere tuum libellum. Legeram jam antea Venetiis, allatum ad me à Carreto tuo. Mirificè semper placuit. Genus enim scribendi non minùs elegans, quàm

eruditum, complexus es. Quod ad typos attinet, video paululum detritos esse vetustate: itaq; specie illâ, quam recentes habere solent, prorsus carent. Et compactum nimis attramentum videtur: ex quo fit obscurum quiddam, quod legentium oculos offendat. Menda quædam deprehendi nimis sæda, nec ejusmodi, ut dissimulari possint. Cujus incommodi causam puto tibi non latere. Sæpè enim hic, dum imprimitur, vel emendationi nemo præest, vel præesse solet homo mercenarius, & parùm literis instructus, & is, cui pecuniâ, quam famâ, sit antiquior. Nos tamen, & quia de existimatione laboramus, & quòd te nimium diligimus ob tuam probitatem, nimiumq; colimus ob eruditionem, enitemur & contendemus, quantum feret acies oculorum nostrorum, ut satis in hoc genere fiat tua voluntati. Ad quam tu me diligentiam tacitè vocas in tuis literis. Laudas enim, & Aldi filium agnoscere te dicis. Quam sunt hæc acuta, quam me pungunt, atq; excitant ad omnem laudem, non modò hanc propriam typographiæ, quæ jam in nostra familia inveteravit, & quasi debita, postulatur. Sed heus: adhucne tibi meus liber est in manibus? atq; abiectum jam à te, & latere in angulis, obductum pulvere, existimabam. Nec tu es, cui bonas horas malè liceat perdere, homo assiduis curis, maximisq; negotiis districtus. Itaq; peto à te, hoc mihi des, ne tuum otium à summis rebus ad meas ineptias conferas. Satis jam observantiæ in te meæ, satis humanitati; tuæ dedisti. Hòc si plus cupiam; non agam satis modestè, nec te nosse,

nec

nec me ipse videar. Verbum optabam in epistola tua de Carreti valetudine, optimi viri, ut visus sum conicere, tui certè studiosissimi. Nam affectum pessimè ac penè desperatum dixeras, cum essem Mantuæ. Mecum actum est in hac peregrinatione prorsus infelicitè. Incidit in morbos tota penè domus: sed uxor cum periculo vitæ integrum jam mensè miserimè jacuit: nec dum video, quid sperem: cum jactetur acerbissimâ febre, nec habeat spaciū ullum sese colligendi. Ego, cum non optimè valuerim corpore, neq; nunc valeam, quo fuerim animo, quo nunc sim, vel me tacente potes existimare. Fortitudinem laudo: sed eam in me ipso nunc requiro. Vincor enim adversis, nec possum planè, quod tu potes, à philosophia illa vera, quam Aristoteles ignoravit, præsidium petere. Sed longius progredior. Tuas literas exspecto. Solatium fortasse aliquod in malis afferent. Vale. Asulæ.

EIDEM, MATUAM.

EPIST. XXXV.

Excusat se, cur Mantuam non venerit. Deinde monet, ut maturè mittat librum suum, si velit eum excudi.

MEum in reditu consilium hoc fuit, ut Mantuæ conscenderem, idq;ve maximè tui salutandi causâ; tum, ut, quod antea de tuo libro imprimendo inter nos convenerat, id comprobarem. Non licuit, ob viarum difficultatem, & frigora. Scis enim, quàm tenui cute sim, quàm imbecillo corpore. Caneti igitur, & meo, & meorum consilio, tranquilla

tempestate, conscendi: Mantuamq; prætervectus, viginti, opinor milliariorum intervallô, Clodium triduo in columis appuli. Hic me amici, & propinqui lætitiâ incredibili exceperunt, qui de reditu meo, sæviente jam hyeme, penè desperassent. Negocia nunc repetimus: quæ cum neq; pauca sint, neq; ponderis exigui; nullum tamen habeo prius, nullum antiquius eo, quod ad te pertinet. Vide igitur ipse, quid statuas. Nam, si perstas in sententia, mittendus liber est ante medium Januarium; quo spacium habemus eos alloqvendi, ac rogandi, quorum injussu nemo imprimit impunè. Urget enim Philippi Regis orator de libro edendo, quem ei misit, homo, ut ajunt, Græcè Latineq; benè sciens, arcanorum ipsius Regis particeps, Gonzalius Perez: cui roganti per literas, ut omnino suus liber meis typis exeat impressus, & in eo sita ac locata sua laudis aliquam partem existimanti, deesse non possum pollicitusq; sum, & persolvam fidem. Sed cupio tuum librum anteire, si tu vis; sin commodius videtur, in aliud tempus differri, quàm primùm literis significa. Ego id unum specto, tibi ut satisfaciam. Vale.

EIDEM, MANTUAM.

EPIST. XXXVI.

Scribit, se avidè expectare Natta librum, & moram sibi molestam esse.

Nondum redditus liber est: nec mea tamen, in ea re diligentia defuit. Devorandum est hoc

hoc utriq; nostrum, quidquid est molestia. Nam me quoq; mora longior incipit ita graviter afficere, vix ut feram: fero tamen, quia Natta negotium est. Alioqvi hastas mehercule, ut ille inquit, abjicerem. Sed obduremus paucos præterea dies. Si res ducetur, librum repetam, & cum pecunia tibi remittam. Amame, & tibi persuade, te mihi esse in animo assiduum, in oculis, in ore. Vale.

EIDEM, MANTUAM.

EPIST. XXXVII.

Scribit, Natta librum à Sexto Medice adhuc legi, & probari: atq; hanc esse causam, cur nondum imprimè ceptus sit.

Neq; nihil respondebo, neq; tamen id, quod tu Nexoptas vehementer; ago autem sic, ut tecum in cupiditate contendam. Librum habet in manibus homo eruditus egregiè sacris literis, & philosophiæ scientia excellens, Sixtus Medices: cujus omnia judicio propter doctrinam; fidei verò ob integritatem rectè committantur. Is legit accuratè; pericrutatur omnia: examinat, & pendit acerrimè. Nihil adhuc, ut sæpè jam mihi significavit, alienum à recta sententia deprehendit; tuamq; mirè laudat perpetuam tam longo in opere eloquentiam, singulari doctrinæ conjunctam. Is, quid tuo de libro sentiat, suo testimonio, ac jure jurando cum ostenderit, aggrediemur: quod abesse jam longè vix potest. Te interim rogo, optimè Natta, ne quid alienæ culpæ in me transferas; nec me curare parum

tum graviter existimes ea, quæ ad te pertinent; quibus afficior in utramque partem, non æquidem, æquè ac tu, sed uno te excepto, gravius certè, quàm ceteri. Vale. Venetiùs.

EIDEM, MANTUAM.

EPIST. XXXVIII.

Censorem libri Natta commendat, & ut ad ejus epistolam statim respondeat, hortatur.

Aliquando is, qui tuum librum accuratè legit, absolvit epistolam eam, quæ tuis literis respondet. Dere tu judicabis: de homine, sic habeto: virum esse bonum, præstanti humanitate, singulari doctrina, præconem verò laudum tuarum. Quare est sanè, cur ei gratias agas, quod te ornet, efferatque laudibus: quod à me jam, qui te unicè diligo, tuo nomine factum est. Quamprimum autem cupio à te responderi; ut, si quis remanet scrupulus, auferatur, & exeat tuus liber bono publico, tuâ non mediocri gloriâ: quod utrumque fore confido. Bonamicus neque dum venit; nec, venturusne sit, aut, quando sit, ex ejus ad me scriptis proximè literis licet conjicere. Tu cognosces, eique ad me fasciculum dabis epistolarum mearum: quas tamen, tu quoque, opinor, mecum sentis, conprimendas potius, quàm divulgandas: sed efflagitantibus, præsertim amicis, negari jam diutiùs non possunt. Vale.

EIDEM, MANTUAM.

EPIST. XXXIX.

Promittit Natta responsum ab eo, qui librum ejus perlegit.

PLuribus tecum verbis agere non licet: ita multis distrahor curis. Unum hoc: is, qui tuum librum legit, idem tuis literis, disertissime scriptis, respondebit. Quod ut celerrime faciat, operam do, quantum in me est. Tuam causam certe, ut mihi videtur, praeclare tueris: & quantum tibi ex optima mente, tantum ex ingenio, & doctrina laudis accedit. Vale. Venetiis.

EIDEM, MANTUAM.

EPIST. XL.

Respondet hortationi Natta, & negat, se propter corporis imbecillitatem, & curas domesticas, posse perficere ea, ad qua absolvenda ipsum fuerat hortatus.

Deinde, cum in L. Latin. multum profeceris, autor ei est, ut ad Jus Civile explicandum se conferat.

Form. Adulationem à se removere, Non ago tecum blandè &c.

PLacere tibi argumentum de Republ. & ejus libri partem, epistolis meis insertam, abste, tali virò tantoperè laudari, vehementer gaudeo. Tua verò cohortatio, ut absolvam institutum, animos illa quidem addit: sed, ô mi Natta, si videas, quibus premimur & curis, & laboribus, fortasse, si modo
vis

vis me vivere, aliter sentis. Incitatur voluntate, consiliis & hortationibus amicorum, gloria nonnulla cupiditate: nec omnino diffidimus ingenio; verum illa, quæ tu excellis, quæ in tuis & dictis & factis elucet, prudentia dissuadet. Me natura perterrita finxit corpore: studiorum accessit non mediocris labor; ex quo imbecillitas, & morbi. Quid a domestica? quæ quò est angustior, eo tuenda diligentius est. Quid typographia? quam ita mihi tractandam intelligo, non ut omnia ad utilitatem, sicut, multi, sed pleraque ad meam existimationem referam ac dignitatem. Quò propositò, nihil est operæ, nihil studii recusandum: ac sæpe, ut ait poeta ille tuus, sudamus & algemus. Amicis etiam vel salutantibus horæ dandæ sunt, vel aliquid potentibus officia tribuenda. Qui si excludantur, aut rejiciantur; sanè consulatur otio meo, rebus meis, valetudini meæ; sed ubi humanitas? quæ quàm sit hominis propria, nomen ipsum indicat. Jacent igitur inchoata, planè rudia, temerè vel dissipata, vel confusa, mea scripta; quæ nonnunquam, sicuti mater langventem filium, cum dolore tacitus adspicio; opem ferre, quam videntur postulare, non queo. Quare, si quid apud te hominis tui amantissimi salus est non debes me ad descriptionem vocare, tot assiduè, tam variis, tanti momenti occupationibus distentum. Adjuva me potius consilio, si potes: aut minue molestiam consolandò: opta saltem, (& hoc ipsum significa) ut hæc, quæ nunc sustineo, perferam, & is, quem volumus, principiis exitus respondeat. Ad quod, nisi favente, qui fons est omnium bonorum, Deo, sperare

rare non licet. Consulationes tuas, si quæ nondum editæ sunt, mirè aveo legere. Nam, cum in iis, quæ jam sunt editæ, præstare te omnibus, qui memoriâ nostrâ Jus Civile literis mandarunt, cum scientiâ rei, tum sermonis elegantia, mihi persuadeam: intelligo posthac tua scripta longè fore meliora. (A) Non ago tecum blandè: metior veritatem ipsâ re, & ut sentio, planè loquor. Valdè, mi Natta, hòc biennio in Latina lingua profecisti: quotidieq; ut ex epistolis tuis facillè conjicio, ad veterem illam eloquentiam propius accedis. Itaque videre mihi videor, ac profus video, quantum in Jure Civili explicando, si studium adhibueris, esse possis: quod ut facias, auctor tibi magnopere sum: si modo tu in tua laude quæmpiam, præter te ipsum, auctorem, hortatoremq; expectas. Vale.

EIDEM, MANTUAM.

EPIST. XLI.

Excusat se de nondum edito ejus libro, & causam rejicit in Censorem, qui nondum perlegerit.

Litera tuæ, quas idem binas tabellarius attulit, facillè tuam edendi libri, quem efflagitari jam à multis audio, non mediocrem cupiditatem declarant. Nec me tamen studio tibi concedere velim existimes. Nam & *οὐκ ἔτι βιβλίου* quandam commovit jam in sensibus meis virtus tua: & res ipsa, de qua tantopere laboras, commendationem habet à se ipsa; nec tuum officium apud me, aut omnino apud quemquam bonâ mente præditum, desit.

desiderat. Unde igitur, inquires, tot dierum prolatio? Equidem culpâ vaco: nec in officio præstando Sixti nobis humanitas defuit; sed ab ejus voluntate pendemus, cui tota demandata facultas est. Is cum Sixti primum, deinde etiam nostro se acquiescere testimonio confirmasset; Sixtum etiam, ut optimè de Christiana doctrina sentientem, sacrarumq; literarum disciplinâ perfectum, laudibus extulisset; illud adjunxit; sibi tamen esse concedendum, cui ratio temporum paulò severiorem, quàm ipsius voluntas ferret, personam imponderet, ut librum leviter attingeret: quod esse per paucorum dierum negotium pollicebatur. Negandum non fuit. Egimus etiam gratias, quod ita blandè peteret, ut suam oblivisci potestatem, humanitatis causâ, videretur. Nunc tibi, mi Natta, devoranda est hæc non multorum, ut spero, dierum mora. Vides, hominum recentiorum libri, quicumque de sacris rebus loquantur, quàm diligenti hodie trutina perpendantur: vides, quàm multi, nullo personarum discrimine, in iudicium vocentur, quàm pauci mox elabantur. Tolle obsecro te, festinationem in re tanta: & habe rationem temporis; & utriusque nostrum otio (nam mea quoque res agitur) brevi interpositâ morâ, consule. Nam, quod injecisti de tua laude, opinor, ut quasi dormientem excitarès, id mihi novam diligentiam non attulit; potius admirationem quandam, cur ea, quæ ad tuum decus pertinent, curari à me frigide suspiceris. Etiam appellas me, ob testimonia epistolarum mearum. Quasi verò ego te diligam constantiz causâ,

causâ, non
 cupitave
 eloquenti
 me quoque
 semper, h
 nam glor
 meos quo
 etiam, ut
 pas; magn
 ingenio &
 bares, satis
 unquam p
 dentus, j
 tuam, si q
 bus oppon
 me respice
 patio: quæ
 adveperam
 opinari, tu

EID

scribit,
 respondens,
 ut jure dicitur

AD oculi
 rudime
 febricula,
 mat. hanc
 legantissim

causâ, non iudicii. Quod si te non esse dissimilem tui putaveris; cujus etiam probitatem, doctrinam, eloquentiam, assidua studia vehementer augent; me quoque, qui aliquando in te fui, eundem fore semper, hoc est, amore incensum, atque cupidissimum gloriæ, debetis existimare. Commentarios meos quod evolvis libenter, amicè facis. Si verò etiam, ut scribis, aliquid ad tuam utilitatem excerpis; magnifacio industriam meam: quam tu, vir ingenio & eruditione summus, modo non improbares, satis habebam; fructum ut ex ea caperes, vix unquam speravi. Itaque scribam posthac paulò fidentiùs, iudicio tuo confirmatus; & auctoritatem tuam, si quis contrà senserit, pro sexcentis rationibus opponam. Literis tuis, cave putes, non esse à me responsum, quia neglexerim. Obstitit occupatio: quæ diem quandoque totum eripit à mane, ad vesperam. Quod, etiam si non scriberem, tamen opinari, tuæ prudentiæ, & humanitatis esset. Vale.

EIDEM, MANTUAM.

EPIST. XLII.

Scribit, librum ejus jam esse Sixto Medici traditum censendum, nec posse eum divulgari, nisi impetrato prius jure divulgandi ab eo, qui libros examinat.

AD oculorum dolores, quos diuturnâ consuetudine satis jam modicè fero, accessit molesta febricula, periculi tamen expers, ut medicus affirmat. Itaque conor brevi respondere literis tuis, elegantissimè, & humanissime scriptis. Liber statim

tim traditus est viro optimo, atque eruditissimo, communi amico, Sixto Medici. Is, licet occupationibus districtus, tamen & meâ, & tuâ causâ pollicitus est, operam se daturum diligenter, ut eam partem, quam tu addidisti, ac mutasti, quam citissimè legat. Quod cum fecerit; rursus ex ejus testimonio jus erit impetrandum, libri divulgandi. Scis enim, quam severa hodie sit librorum omnium examinatio; quam sint, ubi quid scribimus, ambigua cavenda: nequa omnino secus interpretandi, trahendiq; in deteriorem partem, occasio præbeatur. Sixtus me diligit, meâq; causâ valdè cupit, de te autem honorificè & sentit, & loquitur. Itaque, quod ad ipsum attinet, navigamus in portu. Academia tuum officium amplectitur, ac laudat; sua verò à te, singulari viro, probari & magni fieri instituta, mirabiliter gaudet. Plura volebam, ductus suavitate sermonis, cujus imaginem habet epistola: sed interdictum est, non modò ne quid scribam, mea manu, verum etiam ne multa, nisi necessariò, dictem. Vale.

EIDEM, MANTUAM.

EPIST. XLIII.

Resp. Consolatoria Epistola Narta, & illi gratias agit, quòd animum suum consolatione sedârit; Deinde scribit, Academiam Venetam, lectâe ejus epistolâ, omnia probasse, unde singularem lætitiâ percepit.

HAbeo, quod petieram. Sedâsti animum meum consolatione, consilio juvisti. Nihil sapien-

pientius, nihil humanius epistolâ tuâ. Et cum multa sunt à te gravissimè, atqve ingeniosissimè commemorata: tum verò mirificè sum exemplo tuo commotus; quem statuo imitari, quantum in me est, licet meæ probè quidem conscius infirmitatis: cui si Deus aderit, quod eqvidem spero, vincemus humana omnia, & triumphabimus in adversis. Afferet ad te tabellarius cum his literis indicem, quem petis, missum ab Academia, tui studiosissimâ. Tradidi enim legendam epistolam tuam: nec improbavit quisquâ. Quid? nemo non extulit amplissimis laudibus. Ego autem & quâsim ex eorum iudicio affectus lætitiâ, & quid ipse de tuis existimem scriptis; quia te puto illud, vel me tacente, pro amore nostro suspicari, hoc autem ex meis superioribus literis cognovisse; non exponam hîc pluribus verbis. Tantum agam gratias de istâ tam in me propensâ voluntate, excellentiqve, industriâ, quarum alteram longitudo literarum tuarum, alteram elegantia declarat. Vale.

EIDEM, MANTUAM.

EPIST. XLIV.

Excusat se, quod abesse cogatur, dum liber ejus excuditur, culpam conferens in valetudinem.

Form. Excusandi & brevitatem & festinationem literarum. Hæc dictavi properè. (A)

BIduum hîc futurus sum: nec enim diutius licet per valetudinem: nec venissem levibus causis. Liber tuus propediem prelo committetur, & dili-

genter emendabitur. Angor equidem, quòd abesse cogar; quòd accidit profectò non minus contra voluntatem, quàm præter opinionem: sed hæc in manu nostra non sunt. Ducimur enim, vel trahimur potius, fatorum vi. Itaque humana omnia ferenda. Quamquam non hæc tibi, quem religio probum, doctrina prudentem facit, sed mihi ipsi, ab iis præfidiis, quæ te muniunt, parum instructo, tanquam intus canò. De rebus meis, de valetudine, de studiis, exigit omnino amicitia nostra, ut aliquid significem: sed neque nunc satis otii suppetit: neque ut verè dicam, libenter scribo, quæ tu non libenter legas. Meliora tamen omnia paucis diebus fore videbantur: itaque uberiores à me literas expectato. (A) Hæc dictavi prope, multis districtus negotiis, animò curis impeditò. Vale.

EIDEM, MANTUAM.

EPIST. XLV.

Resp. hortationi Natta, & se omnes suas epistolas editurum, quod cupierat, promittit.

LEgi, quas remisisti, epistolas meas, & correxi leviter, ut homini licet occupato. De editione, quòd hortaris, ut omnes potius, quàm ut ego statueram, unam aut alteram: ita faciam, non spe laudis, (scriptæ sunt enim, quod res ipsa indicat, indiligenter, ac raptim) sed quia notam esse æquis & iniquis nostram amicitiam volo: quæ me ornat iudicii tui testimonio: cum tamen ad iudicium singularis accedat humanitas. Vale. Venetiis.

EPI-